DE APHTHIS NEONATORUM DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Giuseppe Ferra

DE APHTHIS NEONATORUM

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM RITE OBTINENDAM

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

CAESAREA REGIA UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOSEPHUS FERRA

ILLYRICUS ARUPINENSIS

PATAVII

TYPIS ANGELI SICCA

1840

PRÖEMIUM

Cum more veteri ac consuetudine ad Lauream medicam adspirantem leges jubeant academicae scripto quodam in publicum prodire, quamquam vires non sat exercitatae et validae sint, neque usus cognitioque rerum tanta sit, ut non tremebundus tiro me labori committam, literarum conscendere currum cogor.

Itaque humanitatem vestram et benevolentiam jamdiu expertus, Viri celeberrimi, dum de quaestionis argumento eligendo plura mecum agitarem, de aphthis infantum breviter dicere selegi.

Quae peccavi, tironi ignoscat benevolus lector, ut si desint vires, sufficiat sincera voluntas.

Neonatorum aphthae illae sunt phlyctaenae vel pustulae albidae aut cinereae, quae in oris antro praecipue prorumpunt, et saepe saepius per tractum intestinalem extenduntur; magnitudinis ac formae variae, humore repletae, urentes, et si exsiccatae fuerint, in escharam transeuntes.

Morbus hic idiopathicus vel primarius (protopathicus) est, qui non alio morbo praegresso, sed originem suam potius recenti causae morbosae debet, qui tantum in infantibus adparet. Sympathicus vel secundarius (deuteropathicus) qui saepe saepius aliorum morborum comes observatur in adultis. Quare jamdiu medici omnes convenerunt in statuendis duabus hujusce morbi speciebus, aphthis neonatorum videlicet et adultorum.

Sermo erit tantum de primis.

Infantum aphthae utplurimum in orphanotrophiis observantur, ubi per contagium communicantur, nam ex ore sugentis infirmi per lactantem papillam in labia infantis sani transeunt. Epidemicae observatae fuere in Hispania; endemicae in Batavia; grassantur in nonnullis Hungariae regionibus, nec non in aliis locis humido-frigidis.

Antequam aphtharum eruptio adpareat infantes inquiete dormiunt, vel penitus insomnes sunt; ca-

vum oris siccum et aridum calescit, qui calor digito inserto percipitur, vel etiam lactantis papilla; lingua arida rubet et quidquam tumescit; suctio et deglutitio difficilis dolorem excitant; sitis permagna; saepius avideque dilectam arripiunt mammam, vix vero arreptam dimittunt miserabili vagitu ejulatuque dolores suos prodeuntes. Pallescere pedetentim parvuli incipiunt; vox fit rauca; anxietas, inquietudo augetur; urina copiosior cernitur; alvus magis obstipa. Alias, urgente siti, vix haustum, lac grumosum, interdum meram bilem vomitu ejiciunt; pulsus parvi ac languidi micant. Interea febris urens accedit, et pulsus sensim sensimque elevatur. Post tres quatuorve morbi dies ad internam faciem plerumque labiorum parvae vesiculae punctulorum albentium ad instar prorumpunt, modo discretae, modo confluentes. Sub continuo symptomatum augmento, ac sub privati alimenti ac somni effectibus, puelluli labescunt et macie conficiuntur; brevi quoque in gingivis, lingua, palato faucibusque aphthae progerminant, quae sensim magis elevantur ad magnitudinem seminis cannabis vel lentis; halone rubro circumscriptae lympha adimplentur albo-flava, quasi margaritarum splendorem referente; sed si aphthae indolis malignae sunt, nigrescente, livida, quin imo atra ac foetente.

Si aphthae rarae ac parve sunt, infans robustus ac vegetus; si praegressa phaenomena post eruptionem minuuntur vel omnino cessant, aphthae ipsae brevi disruptae escharam spongiosam lacti concreto

similem efformant, quae post paucos dies delapsa levem maculam subrubram relinquit; puelluli citius ad salutem redeunt.

Non semper eadem occurrit sors; aliquando morbus extemplo saevior evadit; non raro epidemicum characterem induit, suamque malignitatem ostendit in infantibus praecipue debilibus ac infirmis; et si ab initio neglectus fuerit, tunc omnem medicorum attentionem exposcit.

Supra enuntiata symptomata, quae eruptionem praenuntiant, vehementiora evadunt. Febris acuta urit, et secunda vel tertia morbi die vesiculae nigrescentes discretae elevantur, quae inter se confluunt, brevi omnem linguae ambitum totamque linguam occupant, disrumpunt, escharamque chartae pergamenae non dissimilem efformant; phaenomena post eruptionem augentur; somnus, suctio, digestioque impedita; totum corpusculum calore urit. Mox in faucibus, larynge bronchiisque prorumpunt aphthae, deglutitionem respirationemque difficilem reddunt, tussim molestam excitant; vox rauca clamores supprimit, pertinacesque singultus suffocationem minitantur.

In oesophagum ac ventriculum propagatae, sensum ustionis, dolorem, vomitum inducunt, per tractum intestinalem diarrhoeam producunt, et continuo materies foetidissimae, virides, interdum sanguineae, escharisque commixtae, cum doloribus colicis ac metheorismo fluunt. Jugiter increscit morbus, plus minusve saevit, donec febris hectica vel nervosa,

oesophagi vel ventriculi, aut intestinorum gangraena misellis vitae finem imponit.

In cadavere extispicio observatur tota superficies interna tubi intestinalis materie albida ac viscida obtecta, sub qua aphthae nonnullae adhuc adsunt, et aliquando gangraena hic et illic manifeste adparet.

A variis potentiis noxiis neonatorum aphthae oriri possunt; sed omnes ad praedispositiones corporis infantilis, ad victum et regimen, ad varias aëris temperaturas, ad injurias, ad contagium demum, cui infans exponitur, reducuntur.

In neonatis meconium blando matris colostro vel leviter cathartico non evacuatum, aetas infantilis, habitus et structura corporis debilis ac summopere sensibilis; lac nimium vel nullum; lac pingue, subacidum; vel lac nutricis aliqua dyscrasia affectae seu pathematibus agitatae, vel pravo victu potuque utentis; puls farinacea aliaque alimenta male parata, teneroque puerorum ventriculo non subigenda; lactis in ore pueri ad ubera dormientis coagulum; neglecta oris post ciborum adsumptionem purgatio ac lotio; omissa balnea tepida totius corporis post nativitatem; vestium immundities; cutanea transpiratio turbata vel cohibita, et praesertim pedum refrigerium; regimen nimis calidum a velamentis productum; suctio mammarum aliquo morbo affectarum; dentitionis tempus; praeterea aër humidus, insalubris ac frigidus; annuae constitutiones, contagium denique propter contactum multimodis pro-

ductum, sunt totidem causae, qúae aphtharum evolutionem promovent.

Ad hujus morbis naturam medici varias statuere sententias: alii sicut degenerationem glandularum mucosarum oris ac intestinorum eum considerarunt; alii quantitatem vel qualitatem acrem humorum a glandulis oris, faucium, stomachi, intestinorumque secretorum calorem, exulcerationem prodeuntem esse dixerunt; alii contra alkalescentiae humoris secreti attribuere. Cel. Hufelandius eam in anomalia peculiaris secretionis cutaneae et interna oris primarumque viarum superficie posuit. Clariss. Sthalius aphthas vitio digestionis corruptaque systematis gastrici functione gigni opinatur. Revera causae antea enumeratae in systemate gastro-enterico fere omnes directe vel indirecte agere debent; et hinc laesiones ibi indutae ejus functiones perturbare valent.

Pro diversa morbi intensitate ac extensione prognosis erit diversa; quo pauciores aphthae adparent, suamque sedem in ore tantum figunt, eo levior est morbus, et duarum triumve hebdomadum decursu solvitur. Quo copiosiores erumpunt, nec tantum oris antrum occupant, verum etiam per pharyngem tractumque intestinalem extenduntur, hinc suctionem, deglutitionem respirationemque difficilem reddunt, febrem, ardorem, tussim, singultum, emesin, diarrhoeam excitant; quo magis aphthae confluunt ac ab albido colore recedunt; quo saepius escharae cadunt, iterumque renovantur; quo magis os exsiccatur, foetidusque manat odor; quo citius vires labant

corpusque emaciatur, eo majorem periculum aphthae minantur, et aegri inter dolores et spasmos extremum exhalant spiritum.

Praeterea prout infantium aetate, eorumque statu salutis, aliarumve circumstantiarum conditione prognosis quoque mutabitur. Quo tenuiore aetate aegri sunt, eo majora sunt pericula. Itaque debiliores ab aliis causis affecti, viribus destituti, parentibus valetudinariis geniti, facilius quam sani, robusti ac vegeti vitam amittunt.

Maximi tamen sunt momenti ad prognosin statuendam regimen medicamentosum et diaeteticum in primordiis morbi adhibitum vel neglectum. Si misera rerum conditio talis sit, ut causae hunc morbum procreantes minime evitari possint, nunquam prognosis erit fausta; et infelix omnino si morbus epidemiae characterem induit.

Maximi momenti est cura praeservativa vel prophylactica; nam facilius morbus avertitur, quam vigens curatur.

Aurea summorum virorum praecepta, qui de physica infantum educatione tractarunt, scrupulose religioseque observanda sunt; quapropter atmosphaera, mundities, ac diaeta omnem postulant attentionem. Hinc aër sit salubris, temperatura, victus ac alimenta sint aetati convenientia. Infans si ubera sugit, lac maternum, vel, hoc deficiente, illud nutricis sit bonae indolis; nutrix sit sana, sobria, non iracundiae dedita: si hoc fieri non potest, pulticulae sat aptum infanti nutrimentum praebent. Cavendum

est ne lac in ore coaguletur; cum infans suxerit, ejus os sedulo linteis lotis non madefactis, ut a nonnullis matribus fit, sed simplici aqua frigida abluatur, atque purgetur. Nunquam tandem permittatur ut infans cum aliis hoc morbo laborantibus in contactum veniat.

Cum aphthae jam prodierint, tribus indicationibus, siculi fere in omni morbo, fit ordinatim satisfacere oportet: causas nimirum quaerat medicus, easque removeat; dein mutationes a causis inductas tollat; tandem quantum fieri potest sanitatem pristinam restituat.

In morbi initio, dum causae effectus adhuc exercent, in eas tum agere licet. Generatim munditie, convenienti temperatura, tum infantis, tum nutricis utendum est.

Si lac causa est, lac in melius mutetur; si gastricae saburrae, meconium retentum, qualitas vel quantitas lactis prava, aliique cibi incusentur, levissima emetica aut cathartica sunt exhibenda, ut tamarindorum vel prunorum pulpa, manna, cassia, et praesertim syrupus cichorei cum rheo, et similia. Enemata, balnea simplicia, regimen diaeteticum minime neglectum utplurimum sufficiunt.

Quod si morbus jam increverit, ad secundam indicationem medicus animum convertere debet, mutationem morbosam nempe tollere: et si id fieri nequit, ejus saltem incrementum impedire. Sed ad hoc obtinendum varia varii tum interna tum externa proposuere remedia: haec omnia ad mucilagi-

nosa blanda evacuantia ac tonica adstringentia reducuntur: tales sunt emulsiones amygdalinae, gummiarabicum, aliorumque; decoctum salep, semina lini, succus dauci carotae, rapae sativae, raphani hortensis, et similia.

Si metheorismus, tormina, diarrhoeaque colliquativa, convulsiones infantes vexant, tunc magnesia carbonica, parva opii dosis ejusque praeparata, ut laudanus liquidus, tinctura thebaica, opii extractum et caetera in aliquo vehiculo conveniunt. Inter externa enumerantur mel despumatum vel rosatum, syrupus morarum vel cerasorum cum acido sulphurico ad gratum saporem remixtus, pluries de die aphtharum superficiei admotus. Eodem modo succi diversi, in quibus sulphas zinci aut alumen solutum sit, vel in simplici aqua destillata adhibentur. Borax venetus inter omnes laudes summas obtinuit, cujus dimidia vel integra drachma cum mellis rosati uncia ad cavum oris illiniendum praescribitur; porro si aphthae in oesophago ventriculoque prorumpunt, felici cum successu portionis quaedam quantitas ut deglutiat permittitur. Quodsi aphthae malae indolis sint, et ad gangraenam vergentes, tunc cito ad antiseptica confugiendum est; inter quae cortex peruvianus, ejusdem pulvis, decoctum vel extractum una cum myrrha in aliqua potione acidula diluta perbene praestantur.

Nonnulli quoque inter remedia externa plumbi praeparata et praecipue saccharum saturni praedicarunt; sed caute haec adhibenda sunt, ne intoxica-

tio enascatur, nam ab infantibus aliqua pars facillime deglutiri potest. Caetera alia remedia, quae a veteribus commendata fuere, ad eundem scopum plus minusve tendunt.

Quod si tandem morbo finem imponere datum fuerit, nunquam medicus tertiam indicationem praetermittat. Itaque si morbi secundarii insurrexerint, debet omni vi ac studio debellare eos, nec non exhaustas vires vitales erigere, et recidivas praecavere. Quare juscula nutrientia et decoctiones praesertim e lichene islandico conveniunt. Si magna sensibilitas partium remanserit, mucilaginosa atque emollientia cum utilitate adhibentur: nunquam omittantur lotiones cum aqua pura, vel solutionibus, ablata sensibilitate, levissime adstringentibus supra enuntiatis. Omnia demum quae in cura prophylactica memorata sunt attente stricteque observentur, quo recidiva praecaveatur, et reconvalescentia promoveatur.

THESES DEFENDENDAE

I.

Morbus sthenicus an adynamicus sit pulsus docet.

II.

Venaesectio in febribus inflammatoriis pulsu determinatur.

III.

Haematuria potius symptoma, quam morbus.

IV.

Morbi haereditarii existunt.

V.

Medicus non sanat morbos.